



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. IX. In Crvcem ferente, non ferenda inanis gloria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT IX.

*In CRUCEM ferentē, non ferenda
inanis gloria.*

Noli extollere te in faciendo
opere tuo. *Eccli. 10, 29.*

*Mobilis oblectant quid te preconia vulgi?
In solum referas teque CRUCEMque
Deum.*



HRISTI sermonibus animosior reddita, alacriter pergebat Staurophila cœptum CRVCIS iter. At noua mox procella, noua ei oborta tentatio. Cum enim celebriorem quemdam obambularet vicum, in eoque magna esset populi frequentia; cœpit spectantium vocibus celebrari, quod piè scilicet & generosè CRUCEM baiularet. Quamuis autem non eo fine (vt pridem) hæc faceret; non poterat tamen non delectari tam speciosâ sui commendatione, & publicâ famâ. Quare idem eam auscultabat, & plurimum sibi ipsi placebat.

Videns

Videns verò id Christus, non cessauit eam monere. Caue, inquit, Staurophila, caue præcipitium, periculofissima enim ab amore laudis tibi imminet tentatio. Et quid est, quæso, quòd aliorum suffragio tibi places de te, cum hoc ipso multum mihi displiceas?

August.
lib. 10.
Confess.
cap. 36.
Climach.
Grad. 2.

Instat sanè aduersarius veræ beatitudinis, ubique spargens in laqueis, Euge, euge: ut dum auide colligis, incaute capiaris. Et vide, precor, quid agas: *virtutum enim germina non rarò plantari solent ex inani gloriâ, tamquam ex cloacâ & cæno irrigari, & ex ostentatione circumfodi, atque ex laudibus humanis stercorari, quæ tamen translata postmodum in desertum solum, omni sç, inanis gloriæ cæmentâ aquâ vacuum, confestim exsiccata sunt.*

Greg. lib.
22. Moral.
cap. 5.

Arbor, quò altiùs ad superiora surrexerit, eò ventorum vim vehementiùs sentit: quò quis maioribus operibus attollitur, eò ampliori ore laudantium flatu fatigatur. Quare valde perfectorum est, sic ostenso opere Auctoris gloriam quærere, ut de illibatâ laude nesciant priuatâ exultatione gaudere.

Mirari fatis nequeo, aiebat Staurophila, quâ rimâ hæc pestis iterum irrepserit. Ego enim nunc gloriam meam non quæro, & auferam cum Prophetâ dicere: *Auertantur statim erubescerent, qui dicunt mihi; Euge, euge. Fa-* teor tamen non nihil delectari me laudibus, &

Psal. 69, 4.
August.
lib. 10.
Confess.
cap. 37.

gaudium boni mei augere videtur suffragatio
 oris alieni; & bona quæ mihi in me placent,
 iucundiora mihi sunt, cum & alteri placent.
 Ita quotidiana fornax nostra, est humana lin-
 gua. Tu autem nosti de hac re ad te gemitum
 cordis mei, & flumina oculorum meorum. Ne-
 que enim facile colligo, quàm sem ab istâ peste
 mundatior: & multum timeo occulta mea, quæ
 norunt oculi tui, mei autem non.

Reliquiæ hæ sunt, inquiebat Christus,
 præteriti morbi: quia enim vanam gloriam
 avidè sectata es, iam etiam, licet inuita, ea-
 dem infestaris. Piâ siquidem conditoris dis-
 pensatione agitur, ut de se confidens anima,
 dispensatoriâ tentatione pulsetur: quatenus
 infirmata, quid sit inueniat, & præsumptionis
 propriæ fastum deponat. Atque ex hoc capite
 nescit laudem, cum suppetit, fugere; qui ad
 hanc didicit, cum deesset, anhelare. * Sæpè enim
 bono operi dum laus humana obuiât, mentem
 operantis immutat: quæ, quamuis quæsitâ non
 fuerat, tamen oblata delectat. Cuius delecta-
 tione dum mens benè operantis resolvitur, ab
 omni intentione intimi vigoris dissipatur.
 Tetigisti Domine vlcus meum, & agnosco
 iam insidias latentis inimici. Dum enim pu-
 râ intentione Deo placere studeo, eidem in-
 tentioni furtim se, nescio quomodo, intentio
 humanæ laudis interserit. Quod cum iam post-
 mo-

Greg. 2.
 Moral.
 cap. 26.

Greg. in
 Pastor. par-
 te 2. c. 9.
 * Idem alib.

Greg. 35.
 Moral.
 cap. 16.

modum tardeq; discerno, inuenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic enim sapienter intentionem nostram dum ante Dei oculos rectè incipitur, occultè sibi iam subiuncta, & eam velut in itinere comprehendens intentio humana laudis assequitur: sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu dum fortim gula subrepat, edendi delectatio permiscetur. Vnde plerumque contingit, ut refectio- nem corporis, quam salutis causâ cœpimus, causâ voluptatis expleamus.

Morbum iam ipsa tuum, aiebat Christus, probè nosti, de remedio iam cogitandum. Quis illud melius præscribat, aiebat Staurophila, quàm tu, Domine, verus animarum nostrarum Medicus? Antidotum proinde aduersus hoc malum famulæ tuæ largiri non graueris. Cui Christus: Accipe quod iam olim præscripsi: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, non de corpore loquens, sed ut etiam vnanimis tuus, frater tuus, quod facis nesciat, ne dum hîc mercedem quæris iactantia, illic remuneratiq;nis fructû amittas. Quin imò si possibile est, te ipsum quoque ignorare quod facis, sit tibi hoc prorsus in studio.*

Sed quid opus, inquiebat Staurophila, bona opera tanto studio celari, cum tu ore dictum legamus: *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in celis est.*

Rectè

Matth. 6, 3
Ambros. 1.
Offic. c. 30.

Chrysoft.
19. in
Matth.

Matth. 5,
16.

Rectè, inquiebat Christus, videri possunt bona opera vt glorificetur Pater cælestis, cui competit omnis honor & gloria: nequam verò vt glorificetur cinis & puluis, cui confusio debetur faciei. *Stultitia enim genus est, vt, cum alij debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornâmenta virtutum: cum non sit tuum quod es, quomodo tuum erit quod habes?*

Valerian.
Episcopus
Hom. 11.
circa fin.

Non diffiteor, aiebat Staurophila, hæc ita esse, tua enim, ô Domine, sum ego, & omnia opera nostra operatus es nobis, sine te enim nihil possumus. Nam *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec nos, nisi in te manserimus.* Sed pergat, quæso, Dominus meus inanis gloriæ depingere vanitatem, vt eam magis declinare possim. Ipsum nomen, aiebat Christus, satis se prodit. Cur enim dicitur vana gloria, nisi quia picta & vmbatilis est, omnifque substantiæ vacua? Quis sapiens sceptro aut diademate in chartâ delineato, ceu vero gaudeat? Quis sepulchrum dealbatum, intus plenum ossibus mortuorum, thesaurum æstimet pretiosum? *Quasi qui apprehendit vmbra, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia.* Cuiuscumque coloris sit corpus, vmbrae semper atræ sunt & obscuræ; quantumuis illustria sint opera,

Isaia 26,
12.
Ioan. 1 5,4

Eccli. 34,2.

eorumdem tamen pedissequa, vana gloria scilicet, deformis est & inanis. Et vmbra nunc maiores nunc minores sunt, non pro corporis quantitate, sed exteriori luminis accessu vel recessu: ita qui ex hominum ore toti pendent, aliquando magni & excellentes, subinde exigui & nullius momenti habebuntur; prout aliorum tulerint opiniones. Atque ita *stultus sicut luna mutatur.*

Eccli. 27,

12.

Bernard.

Serm. de

Natiuit. S.

Ioan. Bapt.

Quemadmodum enim *splendet sine seruore, & modo plena, modo exigua, modo nulla videtur: mutatum siquidem lumen numquam in eodem statu permanet, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet: sic qui conscientias suas in alienis labijs posuerunt, modo magni, modo parui sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare vel laudare placuerit. Et*

Isaia 3, 12.

* Chrysoft.

Homil. 17.

in Epist. ad

Rom.

quid amplius dicam? *Filia, qui te beatam dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. * Ut enim pueri ludentes ex feno coronas imponunt, coronatum autem sapienterò eius rei ignarum post tergum irrident: ita & nunc qui te in faciem predicant, apud se ipsos clanculum subsannant, atque ita quid aliud fit, quàm quod homines sibi inuicem fenum coronantes imponant? & utinam aliud quàm fenum! Nunc autem multo etiam nocumento plena est hæc corona.*

omnia recte facta perdit. Quasi enim latro-
 culus quidam est, appetitus laudis humanae,
 qui recto itinere gradientibus ex latere iun-
 gitur, ut ex occultis, educto gladio, gradien-
 tium vita trucidetur. Cumq; proposita utili-
 tatis intentio ad studia priuata deducitur, hor-
 rendo modo vnum idemq; opus culpa peragit,
 quod virtus inchoauit.

Greg. 1. 9.
 Moral.
 cap. 13.

Agnosco, Domine, inquebat Stauro-
 phila, agnosco fatis, quantum damni infe-
 rat inanis gloria. Vere enim illa est laborum
 dissipatio, sudorum perditio, thesaurorum
 insidia, perfidiae alumna, superbiae praecursor,
 in portu naufragium, in aream formica. Quae
 etsi tenuis est, laboribus tamen omnibus &
 fructibus insidiatur. Sed quis poterit effu-
 gere subtilissimum hunc astuti serpentis si-
 bilum, occultissime sese actionibus nostris,
 & maxime bonis insinuantem? Præterde
 alas tuas, Domine, & fugiam sub eas, glo-
 ria mea tu esto, propter te amer, & verbum
 tuum timeatur in me. Qui laudari vult ab
 hominibus, vituperante te, non defendetur
 ab hominibus iudicante te, nec eripietur dam-
 nante te. Cum autem non peccatar laudatur
 in desiderijs animae suae, nec qui iniqua ge-
 rit, benedicatur; sed laudatur homo propter
 aliquod bonum quod dedisti ei: at ille plus
 gaudet sibi laudari se, quam ipsum do-

Climach.
 Grad. 21.

Aug. 1. 10.
 Conf. c. 36.

Pfal. 10, 3.

N num

194 REGIÆ VIÆ CRVCIS
num habere unde laudatur, etiam iste, et
vituperante, laudatur. & melior iam ille
qui laudavit, quam iste qui laudatus est.
Illi enim placuit in homine donum Dei,
huic amplius placuit donum hominis, quam
Dei.

